



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Quomodo mulier religiosa, & timens Deum monachum à turpi desiderio
compescuerit. Capvt. CCIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

in mare proijcere pretiosorū lapidum causa. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictū, vt ex cōsuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mœstus es, fili? Ille verò dissimulabat dolorem, & tacebat. Rursum interrogauit eum dicens: Dic mihi veraciter, quid habes? Tūc ille erumpens in fletum ait illi: Sic & sic consiliū fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Vtiq; , sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc aduocans filios suos dixit eis: Quodcumq; dixerō vobis, impigrè, & absq; vlla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cepit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cū tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cū omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est: Propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilq; mecum ex isto seculo fero? Dixit autē filijs suis proijcite in mare ista omnia. Mox itaq; vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Porrò nautæ obstupuerunt, consiliū suū dissipatum esse cognoscentes.

Quomodo mulier religiosa, & timens Deum monachum à turpi desiderio compescuerit.

CAPV T. CCIII.

Dicebat aliquis patrum: Frater quidam à serpente morsus est, ingressusq; est ciuitatem, vt curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædā mulier, & timens Dominum, & curabat eum. Cū verò modicum cœpisset à dolorib; deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebatq; tangere ipsius manum. Quæ dixit ei: Non ita, pater. Christum time. Recole tristitiam, & pœnitentię dolorem, quem in cella
tua

tua passurus es. Memento gemitum, & lachry-
marum, quas effusus es. Hæc ille, & alia similia
cum ab ea audisset, fugit ab ipso pugna diaboli,
iamque erubescens inde fugere volebat, non va-
lens præ pudore in ipsius faciem intedere. Illa rur-
sus eum in visceribus Christi miserans dicebat i-
psi: Noli discedere, pater. Opus adhuc habes fo-
mentis. Non erat puræ animæ tuæ illa cogitatio,
sed perditæ, corruptorisque diaboli suggestio. At-
que ita sine scandalo curatum illum à se cū viati-
co dimisit.

*De alia muliere prudente, quæ se impetente mona-
chum sapienti concilio reiecit.*

C A P V T C C V.

Narrauit nobis quidam, quòd aliquis ma-
nens in cœnobio missus est pro responsis
cœnobij. Erat autem quidam religiosus
secularis in vico morans, apud quem ille diuertebat,
quoties veniret in vicum. Habebat verò ille
filiam nuper viduam relictam, quæ vixerat cum
viro suo vnum, aut duos annos. Cùm ergo frater
ille ingrederetur, & egrederetur ad eos, impugna-
ri de illa cœpit. Quæ, vt erat prudens, id cognouit,
& obseruabat se, vt non veniret in conspectum
eius. Quadam verò die intrauit pater eius proxima-
mam ciuitatem cuiusdam necessitatis causa, di-
mittens eam in domo solam. Veniens autem fra-
ter ille secundum consuetudinem, solam eam re-
perit, & dixit ei: Vbi est pater tuus? Cui illa: Ingre-
sus est ciuitatem. Cœpit ergo turbari ab impug-
natione, volens insurgere in eam. Quæ cum om-
ni prudentia dixit ad illum: Noli turbari. Pater
meus vsq; sero nõ reuertetur. Hic ambo sumus.
Scio autè, quòd vos monachi sine oratione nihil
facitis.